

18. Quae omnia ideo dicta sint, ut clare pateat, canones supra citatos regulam generalem continere, quae accommodatissima erat disciplinae, quae tunc in ecclesia vigeat, quin ab ulla unquam complicatione turbari posset. Quae quidem regula non est minus accommodata hodierna quoque disciplinae, dummodo electio ad Episcopatum, ut ordinare accidit cum electione ad illam talem episcopalem Sedem conjuncta intelligatur.

19. Merito itaque Emmus s. Congregationis Concilii praefectus in suis literis 16. Aprilis 1855 Cardinali Archiepiscopo Viennensi testatur „nihil, quod pragmaticis sacrorum canonum et ecclesiasticae disciplinae institutis adversetur“, adinventum fuisse in norma, quam ille vulgaverat, celebrandi Concilii provincialis, in qua praeter alia haec legebantur: *Episcopi provinciales loca sua secundum consecrationis episcopalis susceptae tempus habebunt.* Et revera juxta canonum et ecclesiasticae disciplinae statuta actum nuper est in illa provinciali Synodo, cujus exemplum cum non referat specialem Episcopi Quinque Ecclesiensis circumstantiam, nescio quam opportune is in sui favorem adduxerit. Nam tres ibi, praeter Archiepiscopum, aderant Episcopi, quorum duo provinciales, alter nimirum s. Hippolyti, a die 15. Martii 1852, alter nimirum Lincien. a die 10. Martii 1853; inter quos cum nullum oriri posset praecedentiae dubium, optime et sua veluti sponte cessit praedictorum canonum dispositio ut scilicet *secundum ordinationis suae tempus alter, Episcopus Lincien., alteri, Episcopo s. Hippolyti, deferat locum.* Ultimo autem loco sedit Episcopus Sarepta *in partibus*, Suffraganeus Archiepiscopi, ut ajunt in Pontificalibus, quod quam sapienter factum sit, licet is aetate ordinationis suae reliquos

duos antecelleret, electus enim est die 17. Februarii 1851, tum per se patet tum ex dicendis clarius patebit.

20. Sed si quae disputavi paucis complecti libeat, praefatorum canonum dispositio ad hoc referri posse mihi videtur, ut Episcopi, *caeteris paribus*, juxta ordinationis suae tempus praecedant. Audiatur Gonzallez Tellez et Benedictus XIV. de vero ac genuino sensu praedictorum canonum. Alter in suis commentariis ad textum decretalium Gregorii IX., tit. XXXIII. cap. I. de major. et obed. haec habet: „Ex temporis antiquitate majoritas nascitur, ita ut qui prius ordinatus est, caeteris paribus, is in eodem gradu potior sit“. Alter de Synod. dioec. lib. III. cap. X. n. VI. ait: „Generatim enim in quaestionibus de praecedentia receptum est, ut, caeteris paribus, ille alteri praeponatur, qui prior ad dignitatem est promotus, quod ex textibus in can. final. dist. 17 et in cap. 1 et 15 de majorit. et obed. bene deducunt *Cassan.* in cat. gl. mun. part. 4, *Manriquez* de praec. quaest. 1, num. 17, per alt. de praec. c. 3. num. 4.

21. Advertenda itaque sedulo est in casu praesentis quaestionis clausula illa *caeteris paribus*, quia inter Episcopos suffraganeos Synodi Strygonien. non omnia sunt paria, ut iis praefata regula: *ipse prior habeatur, qui prius fuerit ordinatus*, aptari commode et tuto possit. Ad hoc enim, ut caetera sint paria, oporteret ut quemadmodum pares sunt quoad Episcopatum provincialem, ita etiam pares essent in contemporaneitate consecrationis et adeptionis praedictarum sedium. In hoc autem Episcopus Quinque Ecclesiensis discordat cum Episcopis, ut is longe ante fuerit consecratus Episcopus (an. 1838). Cum igitur ob hanc disparitatem recensitae generales dispositiones applicari non possint, per

aliam sane viam praecedentiae norma statuenda est nempe per justas et probatas ecclesiasticas dispositiones.

22. Qua in re ut lucidiori, qua fieri potest, ordine procedam, sinite Emmi Patres, ut Episcopos sub duplici respectu considerem; *primo* simpliciter tamquam personas episcopali characteret et dignitate per consecrationem insignitas et in ordine ad Episcopatum catholicum, ita ut singuli dici possint quadam ratione *Episcopi gentium*, prout eos Franciscus Blanchinus appellat. tom. 2 Anastasii in notis ad vitam s. Eleutherii, qui aliquando ordinari consueverunt absque titulo, ut data occasione mitterentur ad gentes, *secundo* tamquam animarum pastores in ordine ad pastorale officium, quod actu exercent et ad ecclesiam cuique concreditam seu ad aliud insigne munus, cui specialiter et rite addicuntur. In primo casu potestas tantum ordinis in eis spectatur; in altero ordinis simul et jurisdictionis in actu exercitae.

23. Ad primam classem referri proprie videntur Episcopi titulares, quos *in partibus* dicunt, quosque, ut notissimum est, ad titulum alicujus ex plerisque olim florentissimis episcopalibus Sedibus, quae nunc infidelium jugo detinentur, Summi Pontifices creari solent, ne vetustae illorum dignitatis memoria penitus oblitteretur, praeter alias justissimas causas. Hi sunt quidem veri Episcopi, ut qui in consecratione episcopalem characterem et potestatem huic adnexam receperunt; usu tamen potestatis et jurisdictionis, quam ordinatione acceperunt, actu et exercitio sunt omnino destituti. Ad eandem classem aliquo modo referri etiam possunt alti Episcopi non titulares, quibus licet ecclesiarum cura et regimen actu et exercitio commissum sit, non versantur tamen in propria

civitate aut dioecesi seu in loco eorum jurisdictionis, sed in loco omnino tertio, ubi jurisdictionis ratio accidentaliter, si ita loqui fas est, suspenditur.

24. In hoc statu omnes tum titulares tum residentiales extra propriam ecclesiam sunt aequales absque jurisdictione nec actuali nec habituali, excepta illa satis remota habituali, quam Episcopi fruente dioecesi actuali habent discretive ad solos titulares, interveniendi ac votum proferendi in Conciliis generalibus, ut recte observat Cardinalis de Luca lib. III. part. II. praemin. discurs. XVI. n. 8. Hi Episcopi, si omnes aut plerique aut etiam duo simul reperiantur, jam patet, eos non alio quidem modo considerandos esse utpote inter se aequales, quam in ordine ad cujusque promotionem ad Episcopatum late sumptum, ac proinde, cum inter eos ordo servandus omnino sit, ratio ipsa suadet, ut, quoniam caetera sunt paria, assignandae inter eos praecedentiae non alia ratio habeatur, quam *electionis seu promotionis*, nec alio modo *singuli suorum sibi praerogativam ordinum vindicare possint.* Excipiendi tantum ab hac regula sunt patriarchae, qui, ex lege, inter se praecedunt semper non ratione promotionis sed juxta dignitatem sedium, Constantinopolitanae nimirum, Alexandrinae, Antiochenaе, Hierosolymitanae.

25. Hujus rei exemplum ne longe quaeramus, sufficit meminisse Episcoporum, qui Romae versantur et vel in pontificio sacello statis diebus interfuturi de more sacris functionibus conveniunt (excipiendi sunt Episcopi pontificio solio assistentes, de quibus mox singularis sermo recurret) vel ad ecclesiastica comitia aut congregationes vocantur.

De usu pontificii sacelli testimonium pene quotidianum ob oculos nostros

habemus. Ad comitia et congregationes quod attinet, juvat hic eas commemorare, quae anno 1854 habitae sunt, antequam Summus Pontifex Pius Papa IX., quem Deus O. M. ad plurimos annos incolumen servet, solemne decretum de immaculato sanctissimae semper Virginis Mariae conceptu pronuntiaret: atque eam praesertim, congregationem, quae celebrata est feria II. die 20. Novembris in aula ducali palatii apostolici ad Vaticanum. Convocati ad nobilissimum illum coetum coram tribus ex S. R. E. Cardinalibus a Sanctitate Sua delegatis, quotquot in urbe tunc aderant „Patriarchae primo loco juxta propriae sedis dignitatem, Archiepiscopi vero et Episcopi, servato ordine antiquitatis promotionis“, prout de *mandato* SSmmi D. N. Papae, *Aloisius Ferrari* proton. apost. caerem. praef. per schedulam typis vulgatam singulis edixit. Atque ut praescriptus ordo religiose servaretur exaratus est ac pervulgatus elenchus, qui uno velut intuitu exhiberet cognomen et nomen, titulum et seriem promotionis Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium, juxta ordinem suum, nec non Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum secundum tempus promotionis in urbe praesentium die 18. Novembris 1854 sedente SS. D. N. Pio Papa IX. Pont. Max.

26. Venio nunc ad alteram hypothesim, quod scilicet simul convenient *Episcopi vel in locum propriae jurisdictionis ejusdem* seu muneris, cui sint specialiter addicti. Non est quidem dubitandum, quin hoc quoque in casu, potiori aut pari certe ratione ordo praecedentiae secundum *ordinationis* *cujusque tempus* sit instituendus. Id tamen ut rite juxta ss. canones eveniat, ea omnino conditio concurrat, oportet, ut scilicet in unoquoque Episcopo ordinationis tempus cum tempore provect-

tionis ad episcopalem Sedem concordet, ita ut quilibet eorum illi ecclesiae cui modo praees primitus in sua consecratione fuerit addictus. Quae quidem conditio passim et ordinarie adimpletur etiam in praesenti ecclesiae disciplina.

27. Sed si contrarium aliquando fieri contingat et alter ex eis sit eodem tempore aliis quidem antiquior quoad susceptum episcopalem characterem, junior autem quoad adeptam jurisdictionem, quae caeteroquin est titulus omnibus communis illius actionis, quam tunc exercent, in hujusmodi accidentali complicatione videndum est, quae latitudo et proportio generali supernunciatae regulae tribuenda sit. Cujus latitudinis et proportionis mensura absit, ut aliunde quaeretur quam a praxi et auctoritate ecclesiae.

28. In quo illud in primis certae atque exploratae rei loco habendum est, Episcopo dioecesano in loco suae jurisdictionis nihil officere auctoritatem consecrationis aliorum Episcoporum, qui inibi forte adsint, quin ipse eos omnino praecedat. Evidenter id docet Sacra haec Rituum Congregatio, quae in Ephesina die 8. Aprilis 1656 declaravit quidem: Archiepiscopus titularis in aliena ecclesia existentes praeferrere debere Episcopis et Archiepiscopis consecratione junioribus nec non aliis Episcopis caractere senioribus, sed gradus archiepiscopali posterioribus, ut puta ad ecclesiam archiepiscopalem post ipsius oratoris translationem translatis“, adjecta tamen restrictive clausula: „Extra tamen ecclesiae ambitum, intra quam Ordinario privative quoad omnes Episcopos et Archiepiscopos etiam seniores praecedentia competit“.

29. Neque in ecclesia tantum sed et in ipsa civitate vel dioecesi eminent superioritas Ordinarii ante omnes quam-

vis ordine et dignitate majores, ut testantur Cardinalis De Luca de praem. lib. 5. p. 2. disc. XVI. n. 3. 4. 5., *Cassanus* in catal. de gl. mundi part. 4. consid. 22 et *Barbosa* de univers. jur. eccl. c. 13. num. 11, quia ibi reputatur Pontifex omniumque superior gaudetque habitu jurisdictionali privative ad omnes etiam in actibus indifferentibus, utitur rocchetto et mozzetta, benedictionem populo impertitur, quod aliis non conceditur.

30. Et ad Episcopum suffraganeum quod pertinet, de ejus jurisdictione in universa provincia audiatur Cardinalis De Luoa, de praem. au. lib. 3. part. 2. disc. XVI., ubi iudicium suum proferens de quaestione praecedentiae inter Archiepiscopum Sebastien. in partibus, qui erat coadjutor vulgo Suffraganeus Archiepiscopi Metropolitanus Pragen. in Pontificalibus, et Episcopum Lithomaricen. ejusdem provinciae Episcopum jurisdictionalem, respondit favore Episcopi absolute in civitate vel dioecesi Lithomaricen. et cum distinctione in provincia. En ejus verba: „Quoad vero ad alterum casum, concursus scilicet hujusmodi praelatorum in ipsa civitate Metropolitana ejusque dioecesi vel provincia, distinguebam inter functiones publicas et jurisdictionales ratione *Episcopatus et praelaturae actualis*, puta in *Synodo provinciali*, in consecratione Episcopi comprovincialis, in consecratione regis vel reginae cum similibus et inter actus omnino indifferentes ac privatos. In prima specie absque dubio pro Episcopo (provinciali) respondendum esse dicebam, quoniam cum illi sint actus, qui geruntur in titulum sub nomine praelaturae, dictus Archiepiscopus titularis utpote non existens de illo ordine seu genere nullum jus habet in eis interveniendi, quia extra suum officium, unde reputatur vir mere privatus etc.“ Re de-

ducta ad Sacram Rituum Congregationem affirmat auctor eam respondisse juxta praemissa.

31. Quae omnia eo animo dicta esse volo, ut intelligatur, praecedentiam inter Episcopos non absolute ab respectiva consecrationis prioritate sed discretive a prioritate adeptae jurisdictionis esse desumendam esse. Si enim inter plures Episcopos et Archiepiscopos etiam seniores uni Ordinario in propria civitate et dioecesi, ob habitum et exercitium, quo inibi potiuntur, jurisdictionis tribuit Episcopis suffraganeis etiam in Synodo coadunatis praecedentiam absolute supra Episcopos et Archiepiscopos, qui non sint suffraganei provinciales, eadem ratio jurisdictionis metri quoque debere videtur praecedentiam respective inter Coepiscopos, ita ut in tali actu et exercitio, quod ab eorum jurisdictione derivat, prioritas vel posterioritas ab ejusdem jurisdictionis anterioritate vel posterioritate praefiniatur. In quo actu et exercitio quantum sibi jure vindicet qualitas jurisdictionis vel ex eo patet, quod potissimum rationem, propter quam Vicario generali tribuitur locus post Episcopum honorabilior in Synodo dioecesana, non aliunde auctores desumant, quam a jurisdictione, qua gaudet: „Post Episcopum ante caeteros assidere debet Vicarius generalis, qui ratione jurisdictionis, quam in omnes exercet dioecesanos, omnibus dignitate antecellit“, ut docet Benedictus XIV. de Syn. dioec. lib. 3. cap. X. num. 2.

32. Cujus argumenti validitas roboratur a simili ratione, qua instituitur praecedentiae titulus inter Episcopos pontificio solio assistentes. Orta enim aliquando inter eos controversia super praecedentia sacra haec Congregatio in uno urbis collegii Episcoporum assistentium die 7. Septembris 1816, remature discussa, haec decrevit: „Firmo

exstante praelationis jure Archiepiscoporum supra Episcopos, jus illud inter aequales ex vocatione ad assistentiam non autem a promotione ad Episcopatum esse repetendam atque hanc regulam in posterum omnino adhibendam esse, quoties sacris functionibus collegialiter intersunt. En igitur invariabilis regula instituendae praecedentiae inter aequales: nimirum *vocatio ad assistentiam*, posthabita omnino *promotione ad Episcopatum*. En simul sapientissima hujus consilii expressa ratio, quia scilicet Episcoporum personae non referuntur ad Episcopatum in genere, sed ad munus et officium in specie, quo actu funguntur.

33. Jam vero, si Archiepiscopi et Episcopi pontificio solio assistentes in actu et exercitio eorum assistentiae comparentur cum Archiepiscopo et Episcopis suffraganeis alicujus provinciae in actu et exercitio et loco muneris episcopalis, quale est celebratio Synodi: si quemadmodum Episcopi assistentes, dum insimul conveniunt, *collegialiter* convenire dicuntur, ita et *collegialiter* interesse dicantur Episcopi comprovinciales in Synodo, quis ex argumento, quod vocant a pari, non inferet, inter Episcopos suffraganeos Synodo provinciali assistentes, salvo Metropolitanorum primatu, jus illud (praeeminentiae) inter aequales (ordine episcopali) ex vocatione (ad Episcopatum provincialem) non autem a promotione ad Episcopatum esse reputandum?

Quod magis perspicuum fiet, si quis consideret rationem dubitandi de praecedentia inter Episcopos pontificio solio assistentes ex eodem ferme capite derivasse, a quo hodierna praecedentiae quaestio exorta est. Cum enim Caeremoniale S. R. C. lib. III. cap. XVII. tit. de officio assistentium non Cardinalium Domino Nostro Papae haec habeat: „Inter istos non habetur ratio

officiorum sive legationum sed *digniores et antiquiores in dignitate praecedant*, eaque disposito ambiguum relinquere videretur, an scilicet verba illa: *digniores et antiquiores* in dignitate praecedendi jus a promotione ad Episcopatum an potius a vocatione, quam dicunt ad assistentiam, derivare vellent, locum praebuit quaestioni, quae praefato decreto resoluta fuit, quod Pius Papa VII. die 16. Septembris supradicti anni *approbavit, confirmavit atque in posterum servari mandavit*. Hinc fit, ut Episcopi pontificiae capellae aliisque similibus functionibus praesentes in duas veluti classes distribuuntur, assistentium scilicet et non assistentium et diverso modo in sedibus respective assignatis praecedentiae ordinem instituunt, alteri a die promotionis ad Episcopatum vel respective ad Archiepiscopatum.

35. Neque est silentio praetereundum, in assignanda Episcopis praecedentia adeo stricte et rigurose servari commemoratum prioritatis discrimen, in alteris scilicet ob promotionem late sumptam ad Episcopatus dignitatem, in alteris ob provectionem ad singulare aliquod munus, quod dignitatis ejusdem proprium sit; ut Episcopi alterutri collegio addicti ex. gr. Episcoporum assistentium, si forte contingat non omnes in eadem functione eandem partes agere, diversa utuntur praecedentiae ratione, prout diversae sunt partes, quas gerunt. Verba haec si cui obscura videbuntur, illustrabit exemplum supplicationis illius, qua, praeunte sacro Emmorum Patrum Senatu reliquisque ut in more est, Summus Pontifex Pius IX. die, in aevum memorata, octava Decembris 1854 initium daturus solemnissimae diei illius actioni e sacello Sixti IV. sacris indutus vestibus ad basilicam Vaticanam processit. Licet enim omnes, quotquot tantae aderant solemnitati, Archiepiscopi et Episcopi

pontificio solio assistentes ex benigntate Summi Pontificis renunciati fuissent, tamen quia, ut circumstantia illius diei postulabat, non fungebantur actu assistentium munere, ad quod duodecim tantum ex antiquioribus Archiepiscopis designati fuerunt, jussi sunt incedere ac sedere juxta ordinem dignitatis (archiepiscopalis et episcopalis) et promotionis ad eandem dignitatem. En schedulae intimantis verba: „Cum autem SSmus Dominus Noster suis apostolicis literis in forma brevis die 29. datis vertentis mensis Novembris omnes sacrorum antistites tantae solemnitati praesentes (qui non dum pontificio solio assistentes renunciati) in collegium idem cooptandos et hujusmodi honore decorandos esse censuerit, tum in eadem supplicatione ipsi antistites ita incedant, ut servetur dumtaxat inter eos ordo dignitatis archiepiscopalis et episcopalis et habita temporis ratione propriae cujusque promotionis. Ex hisce duodecim tantum antiquiores Archiepiscopi eidem SSmo Domino assistentiam praestent, reliqui vero in subsellis sibi paratis, servato ut supra dignitatis et promotionis ordine locum teneant.“

36. Neque minoris momenti esse arbitror argumentum, quod desumi potest ab usitatis loquendi formulis, quas Concilium Tridentinum et Caeremoniale Episcoporum adhibent in assignanda Episcopis comprovincialibus aliqua honorificentia, absente vel impedito Metropolitanato, cui aliunde ea honoris praerogativa deberetur. Sane Tridentinum sess. VI. de reform. cap. I. haec habet: „Crescente vero contumacia, ut severiori sacrorum canonum censurae subjiciantur, Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens... Romano Pontifici denunciare teneatur.“ Et sess. XXII. cap. 1.: „Decernit ea-

dem sacrosancta Synodus has legitimae absentiae causas a beatissimo Romano Pontifice aut a Metropolitanato vel eo absente suffraganeo Episcopo antiquiori residente etc.“ Et sess. XXIV. cap. II.: „Provincialia Concilia Metropolitanato legitime impedito coepiscopus antiquior cogere potest.“ Ac demum sess. eadem cap. 16.: si capitulum Metropolitanum negligit infra octo dies legitime Vicarium deputare, *antiquior Episcopus ex Suffraganeis* Vicarium idoneum potest constituere.

37. Tridentino Concilio concinit Caeremoniale Episcoporum, dum lib. I. cap. XXXI. de ritibus et caeremoniis pro celebratione Synodi provincialis vel dioecesanae n. XIII. habet: „Cantabitur missa de Spiritu Sancto solemniter per Archiepiscopum, qui in ea utetur pallio, cum caeremoniis in cap. VIII. lib. II. explicatis, vel eo impedito ab antiquiore ejusdem provinciae Episcopo.“ Quod etiam s. Carolus in IV. sua provinciali Synodo consentaneae decernit: „Post processionem missae sacrificium, ut a Metropolitanato solet, eo impedito ab antiquiori provinciae coepiscopo solemniter celebretur et sermo etc.“

38. Quiquidem loquendi modus eo spectare videtur, ut tam Concilium Tridentinum quam Caeremoniale Episcoporum majores honorificentias iis Episcopis assignandas velint, qui sint antiquiores, quatenus non absolute Episcopi tantum relate ad consecrationem sed quatenus Episcopi *suffraganei et Episcopi* ejusdem provinciae, relate ad jurisdictionem, ita ut inter duplicem antiquitatis titulum, promotionis scilicet ad ordinem episcopalem et adeptionis sedis residentialis, si non uterque simul juxta veterem Ecclesiae disciplinam et sacros canones in eadem persona concurrat, is emineat, qui refertur ad *Episcopatum provincialem* seu quod idem est ad *suffraganeatum*.

39. Vacante aliquo Episcopatu, quem vocant suburbicarium, illud est in more positum, ut optio ad eum assequendum, si Summo Pontifici placuerit, detur Cardinali antiquiori in ordine presbyterorum, ita tamen, ut si ille, quod non raro accidit justis de causis, absteineat, eadem optio detur alteri successive qui sequitur, isque electus et consecratus Episcopus, si adhuc non fuerit, ultimum locum teneat in ordine Cardinalium Episcoporum. Ex quo id sequitur, ut quandoque sit inter Cardinales Episcopus *junior* seu minus antiquus, qui inter eosdem sit cardinalatu, seu promotione ad cardinalatum *antiquior*. Jam vero cum lege statutum sit, ut solemniori quadam festivitate ex. gr. Corporis Christi, absente vel impedito Summo Pontifice, missam ante processionem celebretur a Cardinali s. Collegii Decano, eoque pariter vel absente vel impedito, ab antiquiori Cardinali Episcopo suburbicario, quis dicet hujus missae celebrandae praecedentia frui debere *junioem* Cardinalem Episcopum suburbicarium ob eam rationem, quod ex praedicta optionis consuetudine sit in cardinalatu antiquior caeteris Cardinalibus Episcopis suburbicariis? Quis videt prioritatem in promotione ad cardinalatum late sumptum eo in casu reputandam esse tamquam accidentalem, nihilque prioritatis conferre in exercitio muneris, quod proprium est illius ordinis, ad quem ille modo pertinet?

40. Idem debita cum proportione dicendum tum de Cardinali Priori in ordine Cardinalium presbyterorum, qui partes agit Cardinalis presbyteri Papae assistentis, tum de Cardinali ex ordine diaconorum, qui non servata constitutione Clementis VIII. ante decennium suae promotionis ad Cardinalatum transeat ad ordinem Cardinalium presbyterorum.

41. Eadem quoque et praxis, quae servatur in Patriarchalibus urbis Basilicis, in quibus Canonici, qui sunt episcopali ordine decorati, servata distinctione gradus archiepiscopalis et episcopalis, inter aequales praecedentiae rationem instituunt non a suscepta consecratione sed a possessione canonicatus.

42. Nec minus perturbaretur ordo seu series Episcoporum alicujus ecclesiae. Hujusmodi seriem saepe miramur expressam vel imaginibus in aula residentiae episcopalis aut in sacristia Cathedralis aut alibi affabre depictis, cum primum ad illam sedem singuli Episcopi destinantur, vel catalogo, cui inscribatur nomen cujusque, statim ac Episcopus illius ecclesiae renuncietur. In serie Episcoporum ecclesiae Quinque Ecclesien. jam ab anno 1853 nomen aut imago fortasse effulget Rmni Georgii Girk actualis Episcopi. Effinge Episcopum decessorem ejus ad illam sedem, consecratum Episcopum et promotum anno ex. gr. 1840 e loco cessisse et ad sublimiorem gradum evectum fauste fuisse. Si quae- ras uter sit antiquior *Episcopus suffraganeus* ecclesiae Quinque Ecclesien. ideone antiquior, conclamabitur actualis ordinarius loco prioris substitutus anno 1853 ex eo quod idem ab anno 1838 consecratus sit Episcopus Adrasensis in *partibus*?

43. Et si, quod improbable non est, ad Synodi provincialis celebrationem urbane convocaretur etiam Episcopus titularis vel Episcopus omnibus provincialibus in ordinatione seu consecratione anterior, quisnam ei dabitur locus in sessione? An non posset is ad tuendum, ex hac anterioritate, praecedentiae suae titulum allegare tum can. 7: „Episcopus secundum ordinationis suae tempus ad considendum etc.“, tum can. 1: „placuit, ut conservato Metropolitanum primatu caeteri Episcopi

secundum ordinationis suae tempus etc.“, tum alias auctoritates, quae late adducuntur. Opportune respondet s. Congregatio Concilii in *Aquen. Juris votandi*, quae interrogata de Episcopo mere titulari, qui Episcopatu cessit, quem obtinuit jampridem in aliena provincia, si is adesset Concilio provinciali, *utrum praecedentia frui debeat quoad caeteros Episcopos suffraganeos, si prius consecrationem episcopalem receperit?* die 26. Augusti 1850 respondit: *Negative*. Quod jamdiu responderat Cardinalis de Luca disc. XVI. supra citato, licet ageretur de Archiepiscopo Sebasten. in partibus, qui erat etiam suffraganeus in pontificalibus Archiepiscopi Pragen., in concursu Episcopi provincialibus, hanc addens rationem: „quoniam comisti sint actus qui geruntur in titulum, sub nomine praelaturae, dictus Archiepiscopus titularis, utpote non existens de isto ordine seu genere, nullum jus habet in eis interveniendi, quia extra suum officium, unde reputatur vir mere privatus: ac etiam urget eadem ratio casus praecedentis, ut qui scilicet habet jurisdictionem in proprio territorio seu loco, praecedat non habentem; altera autem ratione ponderata, quod Metropolitanus cum suis Suffraganeis unum et idem constituit provinciae corpus, cujus ipse est caput, alii sunt membra, ideoque non potest diversa persona immediare.“

44. Nec quis arbitretur praedictum casum libitu meo effectum esse, nam is, praeter Synodum Viennensem revera accidit in recentissima Synodo provinciali Ravennaten., cui Episcopus Aegitanien. Joachim Josephus Pecheco e Souza factus Episcopus 2. Julii 1832, qui tunc temporis ob tristissimam rei ecclesiasticae in Portugalliae regno conditionem Ravennae morabatur, urbanissime invitatus interfuit, ultimoque loco post Episcopos provinciales con-

sedit et subscripsit, ut videre est in actis ejusdem Synodi splendidissimis typis editi ex typographaeo sac. sem. archiepiscop. 1837. Quod quidem fieri non debuisset juxta eorum sententiam, qui tuentur absolute *Episcopos juxta ordinationis suae tempus sive ad considendum etc.*

45. Ignota mihi est responsio, quae huic argumento objicitur; jure scilicet optimo ultimam sedem Episcopo Aegitanien. assignatam fuisse, eo quod in Synodo Ravennaten. extraneus et peregrinus is erat, neque hic agi de praecedentia inter extraneos sed domesticos. Atqui ex hoc ipso recensita argumenta instaurantur; nam ex hoc ipso patet quod, ad praecedentiae titulum inter aequales (Suffraganeatu et Episcopatu provinciali) statuendum nihil omnino conferat sola consecratio, quae ad effectum de quo agitur habenda est tamquam accidentalitatis et extrinseca qualitas, quae inter Episcopos provinciales simul congregatos valere non potest, nisi in quantum quisque jurisdictionem in ea sede ac provincia adeptus est, quod eo recidit, ut debeat esse consecratio cum jurisdictione conjuncta. Accedit insuper, quod in translatione alicujus Episcopi de una in aliam ecclesiam cesset spirituale illud connubium, quod cum prima ecclesia contraxerat et in actu consecrationis fuerat absolutum, cap.: *Inter corporalia §.: Sicut enim de transl. episc.*, itemque cesset *natalis ille dies*, qui eum cum eadem ecclesia conjunxerat. Hoc satis patet ex formula, qua in casu praedictae translationis utitur Romanus Pontifex, *qui eum absolvit a vinculo quo tenetur ecclesiae N., en cessatio conjugalitatis ac natalis; et ecclesiam N. de persona illius providet ipsumque illi in Episcopum praeficit et pastorem*, en initium novi connubii novique natalis. Hinc in oratione pro Episcopo: *Deus omnium*

*fidelium pastor.* etc. ad literam N., quae postponitur vocabulo ecclesiae, additur civitas, quae eidem ecclesiae nomen tribuit.

46. Ex hoc autem sequitur in hac translatione novum prorsus contrahi absolviq;ue connubium, quod nihil habeat commune cum praecedenti, quod omnino cessasse dicendum est et nova ista vocatio ad alteram ecclesiam est vere nova electio respectu ad ipsam et nihil de priori connubio secum defert nisi accidentaliter, ut ita dicam, consecrationem, quae iterari non potest, ideoque, cum dicitur *electio* seu *consecratio* constituere gradum praecedentiae, intelligi semper debet nova haec electio ad novam ecclesiam, in quam denuo adeptus est jurisdictionem.

47. Tandem, ne plura persequar, argumentum sane non incongruum desumam ex missali romano, ubi missa ponitur pro Episcopo et absolute inscribitur: *Missae in anniversario electionis seu consecrationis Episcopi*, nulla apposita distinctione seu declaratione, ferme ut decreta et canones objecti loquuntur. Jam vero si inscriptio illa accipienda esset, prout verba sonant, sequeretur annuam memoriam consecrationis Episcopi etiam in aliam sedem rite translatae semper celebrandam esse respective ad tempus primae electionis seu consecrationis, quia id inscriptio ipsa absolute sumpta postulare videretur. Facto tamen constat, anniversarium festum Episcopi hujusmodi in aliam ecclesiam translatae non a die primae electionis, sed a die translationis ipsius computari. Hoc apertissime declarat hujusce s. Congregationis decretum diei 2. Septembris 1841 ad 11. „De Episcopo translato celebranda est missa in ecclesia, cui fuit ultimo loco praepositus, recurrente die, quo Papa eum tali ecclesiae praefecit. Exemplum habetur in electione Summi Pontificis;

festum hujusmodi (anniversarium scilicet electionis et consecrationis) erit annunciandum cum titulo translationis.“ Ex quo profecto consequitur, antiquas quasdam formulas ita conceptas esse, ut supponant, Episcopum juxta canonicam institutionem considerari electum et consecratum in ordine ad illam talem sedem episcopalem tamquam ad indissolubile connubium, nullo habito respectu ad translationes, quae possent fortasse aliquando contingere, ideoque electio seu consecratio non censeatur distincta ab immissione in jurisdictionem. Quod si legitima ex causa aliquando contingat de una in aliam sedem translationem fieri, tum nova epocha incipere censenda est respectu ad novam ecclesiam, quasi sit nova electio, nova consecratio, nova institutio: ex qua nova epocha computari postmodum debeat anniversaria hujus quasi novae electionis seu translationis memoria. Itaque a pari concludi posse videtur electionem illam seu consecrationem, ex cujus majori antiquitate, juxta propositos canones desumenda est norma praecedentiae, de qua in casu, ita accipi debere, ut intelligatur electio non absolute primitiva sed illa, quae conjuncta est cum institutione ad eam jurisdictionem, quae jus Episcopo suppeditat sessionis et subscriptionis in Synodo provinciali.

48. Neque desunt antiquorum conciliorum exempla, in quibus praelationis norma desumpta dicitur non ab antiquiori ordinatione sed a prioritate evectionis ad ecclesiam. Eruditus Catalanus plura istiusmodi exempla commemorat tom. I. Conciliorum, ubi explicans ea verba: „Et convenientes omnes Episcopi pariter introeant et secundum tempus ordinationis suae sedeant,“ quae leguntur in ordine Concilii IV. Toletani, quod celebratum est anno Christi 633 sub Isidoro Archi-

episcopo Hispalensi; hoc habet: „Caeterum in sequentibus saeculis et Conciliis Hispaniae videbimus passim . . . inter Archiepiscopos, ut plurimum saltem, praecedere solitum antiquiorem sive illum, qui prius ad Metropolitanam sedem evectus fuisset.“

49. Nunc autem brevius praestringam, quae fusius disputavi, sive spectetur antiquae Ecclesiae praxis et disciplina sive Episcoporum persona tum quoad dignitatem tum quoad jurisdictionem actu exercitam, sive praxis urbis tum in capella pontificia tum in sacro Emmorum DD. Cardinalium collegio, tum in canonicis basilicarum patriarchalium, sive usitatae loquendi formulae s. Concilii Tridentini, Caeremonialis Episcoporum et missalis romani: sive confusiones, quae obvenirent, si verba canonum intelligenda essent eo sensu, quo accipiuntur, in eam sententiam inducor, ut Episcopo Quinque Ecclesiensis inde proveniat titulus praecedentiae in Synodo provinciali Strigoniensi, unde jus ipsi exurgit in eadem Synodo sedendi ferendique votum una cum Metropolitano et Episcopis provincialibus.

50. Venio tandem nunc ad consuetudinem, quam Episcopo Quinque Ecclesien. contrariam esse affirmat Emmus et Rmmus Archiepiscopus Strigonien. in sua ad Summum Pontificem epistola 24. Octobris 1558, quam per integrum videre est. In ea haec inter alia testatur:

1. In Hungaria usu immemorabili invaluit, ut Episcopi tam in publicis regni comitiis, quam etiam in ecclesiasticis consultationibus sederent juxta seriem successive obtentorum dignitatum suarum. Quae observantia etiam in schematismo regnicolari ante seriem Episcoporum continuo impressa fuit; hinc,

2. etiamsi quis antea Episcopus consecratus fuisset in partibus, tum ordi-

tamen Episcoporum dioecesanorum numquam innexebatur, sed tales distincto ab illis loco et subdistincto titulo schematismo inferebantur.

3. Si talis Episcopus in partibus regendam aliquam dioecesim obtinuit, tum ordini Episcoporum dioecesanorum inferebatur quidem, sed semper ultimo loco, etiamsi consecratione aliquos praecessisset etc.

51. Quantum autem roboris sibi vindicet legitima consuetudo omnes jam norunt; quanti vero in Synodis et in quaestionibus de praecedentia aestimanda ea sit disertissime docet Benedictus XIV. de Synodo dioecesana, tum in multis locis, tum praesertim lib. III. cap. X. n. IX., eo quod „revera difficile sit in hac praecedentiae materia certam regulam definire; cum potissimum inhaerendum sit consuetudini, quae pro locorum diversitate diversa est.“ Id etiam docet et suprema auctoritate confirmat Gregorius XIV. in sui brevi moderatorio decreti Sixti V., in quo, reclamante Cardinali de Castro, statuit: „Vicarium seu officialem aut provisorem generalem Archiepiscopi primum locum post ipsum Archiepiscopum et ante capitulum, vel a capitulo deputatos in eadem omnino Synodo dioecesana de jure locum habere et obtinere debere, nisi tamen ex consuetudine legitima capitulo jus in eadem Synodo Vicarium praecedendi constiterit esse acquisitum.“ Maximam vero eidem consuetudini vim addi, si ea sit immemorabilis, docet idem Benedictus XIV. de Syn. dioec. lib. III. cap. XII. n. VII.: „inest quippe immemorabili (consuetudini) ipsa etiam apostolica auctoritas, quoniam is, qui ejusdem praesidio fulcitur, potest quodcumque apostolicum privilegium allegare.“

52. Cum itaque de praefata consuetudine eaque immemorabili, quae dicitur in Hungariae regno vigere, du-